Quelle: https://manuscripta.at/?ID=237
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

mihi solo · sed quia primo quod dicit ad me vicinie tantum ac si diceret
ad exemplum imitationis mee, et quod dicit tu ac si diceret ·
Convertantur non solum sibi ad salutem sed et michi ad salu-
tis augmentacionem. ¶ Quod autem tui sanctificatio ad ubi
dicitur: Revertantur me qui timent te etc. usque complete vi-
sionis plenum sensum. Sive in penitentes et incipiens conversa
a malo ad bonum per eruditionem et correctionem aliquam, ista
sive proficiens conversatur et conformetur et confirmatur, excitat
et provocat ad imitacionem perfectorum utrumque per quandam timoris
reverencie consimilitudinem quo timore et reverencia inferiores
se student superiori assimilare per devotionem imitationis
non per elationem assimilationis sicut dicit Augustinus de verbis
domini: quia laudabiliter fuisset appetitus Lucifer si appetivisset
altissimo similari per humilitatem imitationis, non
per equalitatem maiestatis. ¶ Ille enim appetitus
esset cum reverencia et timore, iste vero fuit cum superbia
sine timore. Eodem modo est in proposito de assimilatione
sanctorum quorum sanctitatis excellenciam debent cum humilitate
et timore et reverencia imitari non cum murmure et inde
superbia emulari. Sicut Paulus qui se talem esse in sancta
non ignoravit qui in petre reprehendere potuit tamen omni-
bus se minimum esse dicit ad Gal. ii. Qui timent te scilicet
filialiter ut intelligatur de proficientibus: Revertantur me
et cum reverencia et timore se in tantum talibus et tantis
conversationibus eruditos et correctos et profectos studeant
conformare. ¶ Notandum tamen quod triplex est conversio. Est
enim conversio de malo in bonum que fit per penitentem
mutantem de quo dicitur Ps.: Deus meus misericordia eius preveniet me.
Johelis ii: Convertimini ad me in toto corde vestro etc.
Est et conversio de bono in malum que fit per cogitationem vel
affectatam maliciam. Ps.: Conversi sunt in arcum pravum.
Tercia conversio de bono in melius ad profectum et perfectum que
fit per superhumiliantem gratiam de qua dicitur: Convertantur
in te etc. Et quia de proficientibus intelligatur patet per sub-
sequens quod dicitur: Et qui noverunt testimonia tua etc. No-
visse enim dei testimonia perfectius est quam discere mandata

Conversio

quod superius petivit: Da michi intellectum ut discam mandata tua etc.
Qui enim discit ignorat, quod non facit qui novit. Time-
tes filialiter et dei mandata cognoscentes sunt illi de
quibus et pro quibus orat et optat propheta iam in zelo
caritatis ut convertantur et conformentur quantum ad imita-
cionem et proficiant quantum ad conformitatem et vivant quod
contractionem sanctorum in mentibus et in corpore esse. Testimoni-
a autem de quibus hic dicit sunt illa quibus in sacre scripture
libris in malorum et bonorum operibus et exemplis inveni-
mus monentem malorum consortia fugere et bonorum consorcia
exquirere et amare. i Cor. xv: Corrumpunt mores bo-
nos colloquia prava. Ps.: Cum electo electus eris et cum per-
verso perverteris. Sed non cogitando quod est inevitabile et
necessarium, sed imitando quod est culpabile et nefarium.

Fiat cor meum immaculatum

Superius petivit malorum conversionem et bonorum
profectum et perfectionem que consistit in sanctorum imitatione et con-
fortatione, nunc petit sui ipsius profectus consummacionem
et consummatam perfectionem dicens: Fiat cor meum etc. Summa
in perfectio viri esse cordis mundicia et immaculacio et incorrupcio
quoniam ad veram beatitudinem que consistit in visione dei est im-
mediata dispositio. Math. v: Beati mundo corde quoniam
ipsi deum videbunt. Ubi dicit glossa quod mundi corde sunt
quos non arguit conscientia peccatorum etc. non dico delectorum non
solum quo ad reatum et culpam sed et quo ad maculam que est
ymaginis dei deformatio. Nam quo ad actum culpe con-
tracte vel commisse impossibile est non habere conscientiam peccato-
rum, sicut dicitur ad Ro. iii: Omnes peccaverunt et egent gloria dei.
¶ Notandum quod immaculatus dicitur duobus modis. Uno
modo immaculatus id est mundus et immunis a macula et sic modo
solus Christus est immaculatus quia per carnem assumptam et mundum
in quem venit mundus et immaculatus ingressus est. Ps.: Qui
ingreditur sine macula etc. Solus enim Christus mundum ingressus est
sine macula, sic mundo progressus est sine macula, unde
se in operatur iusticiam etc. Alio modo dicitur immaculatus
et mundatus a macula que convenit ceteris sanctis et viatoribus

Immaculatus